

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

MORBORVM INCON-
SVLTA RATIONE SUP-
PRESSORVM REVO-
CATIONE

QVAM

DIVINI NUMINIS PRAESIDIO

IVSSV ET AVCTORITATE

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

IN ACADEMIA FRIDERICIANA REGIA

PRO

DOCTORIS IN MEDICINA

DIGNITATE

IVRIBVS ET PRIVILEGIIS

LEGITIME OBTINENDIS

ANNO M DCC XXXVII. A. D. V. OCTOBRIS

ERVEDITORVM CENSURAE

EXHIBVIT

AVCTOR

MOSES ABRAHAM WOLFF

NEO-VEDA VEDANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

Therap.

athol. gen.

225/38

DE...
...

~~...~~
~~...~~
~~...~~

...

...

...

...

MORBORVM INCONSVLTA RATIONE SVPPRESSORVM REVOCAZIONE.

PROOEMIUM.



Edici prudentis votum non minus quam officium est vt cito, tuto & iucunde curet. Et cito quidem liberasse a morbo eandem gratiam habet, ac si quis amico ære vel opera sua indigenti celeriter succurrit, ipsumque à sollicitudine liberat, absque eo ut sentire debeat quam vere ille, quisquis fuit, dixisse commemoratur, nihil carius constare, quam quod precibus emendum est. Enimuero leges medicinæ non permittunt etiam maxime cupienti artifici vt cito rem expediat, nisi id simul tuta ratione præstari possit. Sunt aliqua temporibus suis æterna quadam lege adstricta, quæ si contrahere & accelerare quis vellet, æque frustra laboraret, quam si cui

longarum noctium pertæso solem citius, quam iusto momento, reducere polliceretur. Alia non quidem habent eiusmodi tempora, sed obstant opem laturo medico variæ in curandi corpore latentes causæ, quo minus materiam, quæ vitium fovet & continet, tam celeriter, quam quidem optat, vel corrigere, vel ad exitum aptam reddere, vel per convenientia emunctoria eliminare possit. Fit aliquando vt nihil liceat blandis modis promouere, adeoque ad iniucundos transfundendum sit, immo satis multum ancipitis periculi subinde secum ferentes, nisi certæ pernicipi ægrotantem velis relinquere. Atque hæc quidem ita se habere omnes nouerunt, qui medicinæ doctrinis imbuti sunt. Enimuero, vt sumus homines, sæpe nos coniectura fallit, & spes blanda felicitis successus allicit, sæpe importunæ ægrotantium aut amicorum eius preces nos permouent, aliquando rationes quædam cogunt, vt aliquid aut citius quam ipsi volebamus, aut audacius, quam consueueramus, adgrediamur, cuius deinde prauos successus ab euentu discimus. Non raro etiam fit vt non nostra, sed aliorum medentium culpa in alium morbum & grauiorem ex leuiori præcipitanter & incaute curato coniecti
no-

nostræ se fidei tradant, vt si non possint ad integram sanitatem, tamen ad priorem morbum reducantur. Quid in talibus ægrotis faciendum sit, quibusque regulis & rationibus inniti debeat, quicquid ad salutem illis reddendam molituri sumus, præsentî dissertatione exponam, vt illustri in hac alma Fridericiana medicorum ordini comprobem quos fructus ex celeberrimorum doctorum ore & scriptis hauserim. Huius itaque atque omnium in arte Asclepiadea versatorum virorum iudicio hanc commentatiunculam subiiçio; deumque oro vt me, ad artis exercitium nunc accedere parantem, prospero successu beare velit, quo humanæ societatis plurimo emolumento ea afferam, quæ ad morbos profligandos & valetudinem integram conseruandam proficua & idonea accepi, mecumque in patriam ex hoc bonarum artium & scientiarum locupletissimo mercatu reporto.

§. I.

Quid morbus sit adeo cognitum est omnibus, qui in medicis scholis enutriti sunt, vt supersedere huius nominis declaratione tuto liceat. Quando autem morbus ex præscripto salutaris artis curatur, ante omnia medicus inquit in
A 3 eius

eius causam proximam, vt eadem remota aut correctâ morbus integre auferatur, firmaque valetudo reddatur. Quod si vero vel medici culpa, vel ægrotantis, aut amicorum eius intempestiua sedulitate cum ignorantia coniuncta, aut quacunque alia ratione fiat, vt, causa intus remanente & inclusa, symptomata morbi cohibeantur, & per aliquot dies non compareant, indeque gaudium intempestiuum ægrotantis domum impleat; prudentes iudicant morbum non ablatum esse, sed abditum seu *suppressum*, qui vel eodem schemate serius occlusus rediturus sit, vel diuerso. Si eodem reuertatur *recidiva* dicitur, atque is fere optimus euentus iudicari debet. Si diuerso, quod tamen cum priori valde conexum, ratione causalitatis, iudicari possit, tunc dicunt medici *transmutatum*: de quo argumento copiose & solidissime ante complures annos commentatus est illustris & magnificus totius academix Fridericianæ, inque ea ordinis medici Senior Dn. FRIDERICVS HOFFMANNVS patronus, præceptor & promotor meus omni pietate, dum spiritus hos reget artus summo opere venerandus, in dissertatione *de morborum transmutatione*. Idem vir illustris hoc argumentum copiose tractauit in luculenta dissertatione ante sexennium habita *de metastasi siue sede morborum mutata*. Prorsus itaque putidus essem, si ad hanc exercitationem accessissem, tamquam sperans me aliquid noui & ab aliis intacti proferre posse. Illud potius spectavi vt tantum duces e longinquo sequens minori periculo decurrerem.

§. II.

Nolo autem multis inhærere iis, quæ ad theoriam per-

pertinent, sed potius omnia ex practicatorum obseruationibus elicere, & ad practicam vtilitatem, pro viri-um modulo, reuocare studebo. Faciam autem initium ab illis, quæ maxime in sensus incurrunt, vtpote quæ minimum vel dubitandi locum præbent, vel errandi periculum obiiciunt. Huius generis sunt varia in superficie corporis exanthemata & vlcerationes sponte exortæ, quæ admodum facile possunt ita reprimi & ad interiora repelli, vt prorsus nihil, quod cutim defœdet, amplius conspiciatur. Initium itaque faciam ab affectu vulgatissimo & inter certos homines, qui non possunt ex voto suo viuere & cultui necessario corporis sui satisfacere, familiarissimo. Scabiem puto, quæ inter homines vitæ sedentariæ addictos illis maxime incumbit, qui cum crassiori victu intempestiue at perbreuia & abrupta spatia mouentur, & arctius inque confortio plurium habitare coguntur. Videtur sane hanc rem præter ceteros bene perpendisse celeberrimus Louaniensium professor VOP. FORTVN. PLEMPIVS, qui *de sanit. tuend pag. 288.* morbos cutaneos illis maxime oriri testatur, qui a prandio vel cœna pleniori celerius, vsque ad anhelitum sudoremque, mouentur, ac deinde simul ac semel a motu ad desidendum reuocantur. Hoc enim fit vt humores in halitus & vapores resoluti & ad cutim decumbentes, mox conuiuentibus, postquam refrigerati sunt, poris ibi subsistant, lente-ſcant, acriores fiant & exulcerationes producant.

§. III.

Si vero vel ab tali principio scabies orta sit, vel per contagium eadem in corpus aliquod delata fuerit, admo-

admodum molesta & periculi plena res est, si per medicamenta, quæ poros arctius constringunt, humoresque ad interiora repellunt, eadem ablata, aut, ut rectius dicam, ad interiores partes translata & compulsa fuerit. Vere enim & actualiter tantum locum mutare sic retropulsa exanthemata, clarissime nos docet luculenta observatio, quæ in *Actis physico-medic. Acad. N. C. volumine I.* exstat, & multis refert quid in dissecto cadavere iuuenis, qui illum errorem commiserat, atque hinc, post plurima mala, mortem inde contraxerat oculis fidelibus visum fuerit. Scilicet veræ pustulæ scabiosæ passim per peritonæum, omentum, intestinorum externam superficiem exstabant; vnde exulceratæ hinc partes arcte inter se coaluerant pluribus locis, ut vnum globum aut fasciculum exhiberent, & laniosa purulentaque materia pluribus locis efflueret. Miser hic homo mox ab usu vnguenti sulphurati incidit in omnis generis mala, quæ potissimum referebant hypochondriaci valde confirmati morbi specimen, cum facultarum animalium insigni labefactione & peruersione. Sed in aliis alia euenire, pro eo ac materia repulsa sedes diuersas capit, grauissime docet illust. HOFFMANNVS in dissert. *de metastasi* §. XI. ex qua hæc transferre liceat: *potissimum vero pectus & pulmonem petere infestam materiam observamus; vnde dyspnoeam, asthma conuulsium & suffocatum, ex quo, si diuturnius malum est, tandem hydrops nascitur: quando vero ventriculi vel intestinorum tunicas praua adoritur materia, vomitus, cardialgiæ, ventriculi inflammatio, diarrhoeæ interdum etiam cruentæ proueniunt, febres*

febres quoque varii generis, tam acutas, quam continuas & lentas inde proficisci non nouum aut insolens est.

§. IV.

Verissima hæc esse hisce diebus didici exemplo notabili, quod apponere liceat. Veniebat huc iuuenis Ebræus XVIII. annorum, studio linguæ & legis nostræ totus deditus, sed destitutus illis facultatibus, quibus opus est ad commodioris vitæ procuranda præsidia. Erat habitus strictioris, vultu autem pallido ac lurido viuam mortis imaginem præ se ferebat. Conquerebatur de summa præcordiorum angustia, difficili respiratio- ne, doloreque pungente & satis acuto in sinistro thora- cis latere. Progressu temporis omnia hæc deteriora reddebantur, corpus indies magis tabescebat, vires cum appetitu labebantur, circa vesperam febricula len- ta ardebat, materiam spissam purulentam, satis ma- gna quantitate, cum screatu multo & tussi eiiciebat. Misertus ego hominis peregrini & pauperuli, percon- tari cœpi de mali initiis. Dicebat se æstatis principio scabie humida per totum corpus fuisse obsessum. Sua- su amici adhibuisse vnguentum ex oleo baccarum lauri, sulphure & cerussa; non præmissis vllis, quibus in hoc morbo vtendum est: nec postea subiunctis, quæ edu- cerent repulsam a superficie materiam. Cognita mali origine procuravi ipsi bibendum decoctum ex radici- bus lapathi acuti, sarsaparillæ, scorzon. glycyrrhiz. althææ, herbis veronicæ, scordii, florib. papau. rh. sam- buci, flaued. cortic. aurant. & sem. fœniculi. Iungen- dum huic exhibui puluerem ex lapid. cancr. C. C. phil. præp. antimon. diaphoret. fl. sulphuris & cinnabari.

B

Sub-

Subsequebatur mox pruritus ingens, deinde scabiei reditus, cum conspicua reliquarum molestiarum immi-
nutione, tandemque plenaria ablatione. Mirum erat
quam inde appetitus redierit, prorsus vt nimius is vi-
deretur, quia expleri non posse videbatur. Suspica-
tus hoc fieri, quia valde multum per exanthemata
effluebat & dissipabatur, perrexi corrigendo materiam,
dedique Tincturam antimonii tartarifatam cum spiritu
sal. ammoniaci: subinde autem euacuavi pilulis blan-
dissimis balsamicis: quo factum est vt tandem, absque
externo adminiculo, scabies ficcaretur & deflueret, ac
pro modulo, vt illa discedebat, etiam appetentia ad
modum naturali propiorem reuocaretur.

§. V.

Satis quidem multa ex scabie retropulsa homini
metuenda mala vidimus. Sed plura cognouisse iua-
bit, quo magis ab hoc tam quotidiano errore sibi ca-
ueant homines; matureque opem requirant, vbi in-
cautis persuasum forte fuit vt aliquid auderent. Non
possum itaque quin ex HOECHSTETTERO *observat.*
med. lib. VIII. obs. 8. referam de euentu non tam retro-
pulsæ, quam sponte & subito retrocedentis scabiosæ de-
fœdationis in patritio Augustano tristioribus animi
pathematibus afflicto. Sensit enim illico magnam las-
situdinem ac corporis totius debilitatem: erupit fe-
bris cum delirio, mox obmutuit, difficillime deglutiit,
delirium in furorem abiit, opisthotonos accessit, atque
nullarum medicinarum, quas acceperat, viribus quic-
quam subleuatus obiit. Idemque auctor doctissimus
ibidem refert de alio ægrotante, cui scabies vsu alicu-

ius

ius vnguenti ad interiora recesserat, vnde a coxa ad pedes imos plane paralyticus factus est. Superuenerunt tandem conuulsiones, sub quibus a consortio viuentium excessit. Eodem autem, quo scabies, loco habenda sunt cetera etiam exanthemata chronica, quorum varia primam præcipue ætatem vexant & infestant: quæ ipsa cum talibus satis plerumque tolerabiliter viuit: quando autem non tam curata quam intro pulsa sunt, nimis cito epilepsias, catarrhum suffocatum, aures manantes, oculorum varia vitia teneris accersunt, atque sæpissime mortis causæ euadunt.

§. VI.

Equidem existimo illos, qui I. B. van HELMONT fidem adhibent, præter ceteros debere ad scabiem per externa illico sanandam festinare. Hic enim vir in tractatu quem *scabiem & ulcera scholarum* inscripsit, totus est in eo, vt ostendat scabiem non a corruptorum humorum vitio pendere, sed pellis morbum esse: fierique non posse vt in humores resorbeatur vitium, quod extra locum affectum, vlcusculum scilicet, prorsus nullum adsit. Forte etiam illi, quibus videtur omne exanthematum genus, quod prurit & exulceratur, a vivis animalculis, sub cute nidulantibus, originem nascisci & sustentari, credent hostem non esse magno molimine per intimos corporis recessus quærendum & expellendum, quem obuium in cutis superficie habeamus, ibique directe possimus adgredi. Enimuero Helmontii tam confidenter in scholas iactata scommata refellunt obseruationes fideles, quæ manifestant quam male mulctati sint, qui ipsius consiliis fuerant quam strictissime obsequuti. Laudat enim pharmaca e

sulfure, baecisque lauri; quibus vsi fuerunt tam ille e gente mea Ebræus adolescens, quam iste, de quo in actis phys. med. N. C. relatum legimus. Oportet itaque omnino esse aliquam in humoribus corruptelam, quæ aliorum deferri ibique subsistere & sedem figere possit: quum in altero culter anatomicus detexerit scabiem ad interna viscera delatam; de altero id persuadeant symptomata, quæ retropulsam scabiem mox exceperunt, & eadem ad superficiem reuocata illico cessauerunt. Qui vero a vermiculis minimis eam sustentari & produci credunt; debent hi sane agnoscere fœdis his bestiolis, quantumuis acaris, cœcos corporis nostri meatus & mæandros facile patere, vt repulsi ab vno loco ad alia atque alia iter facile inueniant, ibique colonias quasi nouas instituunt.

§. VII.

Sed progredimur ad dispiciendum de ratione, qua succurrere illis debeamus, quibus accidit vt a cutaneis istiusmodi affectibus inconsulta & male fida ratione curarentur. Maximum vtique momentum in eo positum existimamus, vt mature satis succuramus, ante quam firmam alicubi in partibus interioribus sedem capiat malum, ibique conformationis prauæ illa vitia, quæ in homine §. III. adducto notauimus, aut iis similia, producat, Vbi enim eo vsque progressa iam fuit læsio, haud scio sane an vlla arte medicabilis illa futura sit. Certe vt scabiosam vlcerosam constitutionem ad externas partes reducas, quomodo aliquis coalitum partium internarum ablaturus sit, vt simul auferantur quæ inde non prouenire non possunt, nulla ratione peruidere aut cogno

gnosceret valeo. Inter omnia vero, quibus hic tribuere aliquid cum experientia suffragio licet, vnica illa laudem & commendationem merentur, quae ad superficiem corporis pellendi viribus instructa sunt: neque omnia quidem, quae diapnoica & diaphoretica habentur, sed ex illorum amplissimo catalogo illa, quae potentius hoc agunt & simul anthelmintica virtute pollent.

§. VIII.

Hæc inter potissimum est sulphur commune introsumtum, siue flores eius deligere velis, siue magisterium, quod lactis sulphuris nomine prostat. Post hoc collocandum videtur antimonium crudum, cuius regulinae partes, a sulphure ligatae & obtusae, impediuntur quo minus tota sua efficacia in fibras corporis agere possint, fatis tamen conspicua virtute intendunt sulphuris vires & diapnoen efficacem, magis tamen cum tempore sentiendam quam illico percipiendam, exserunt. Si cui præparata magis arrident, a panacæa Glauberiana, Conerdingiana, sulphure aurato Ang. Salæ, puluere Carthusianorum per Galliam celeberrimo, quod & Alkermes minerale vocatur, eandem efficaciam percipiet, si debita quantitate & iusta continuatione illa adhibuerit, non neglectis infusis, quibus in massam humorum diffundi talium virtus debet. Quum vero sulphura istiusmodi pluribus locis prostant non vno eodemque modo præparata, erit sane consultum probe prius explorare eorum vires, ne vel ultra spem agant, vel infra eam subsistant. Tutissimus fere omnium hic est æthiops mineralis, siue vulgarem illum accipias, siue antimoniatum: quippe in priori sulphuris & hydrargyri

coniunctæ vires, in altero vero insuper antimoniales conspirant. Aethiopsis mineralis quasi filia est cinnabaris: cuius læpius spectatæ vires antepilepticæ, siue per se data fuerit, siue in puluere cephalico rubeo pharmacopœæ Noricæ, aut specifico cephalico Michaelis, siue denique panacœa Anwaldina, aut, si mauis, auro horizontali Kornemanni, aut puluere Cellensi, debentur felici connubio quod sulphur & mercurius iniierunt: numquam autem maiora documenta edunt, quam vbi neruosi generis mala a prohibita transpiratione, aut retropulsis exanthematibus, originem ducunt.

§. IX.

Posthæc mineralia, quæ vtique efficacissima sunt, præsertim si mercurii dulcis vsus perite interponatur & succenturietur, vegetabile etiam regnum aliqua dat vtique non reprehendenda, sed quorum vsum vel debilitamus viresque diffundimus in infusis & decoctis, vel ascititia qualitate plerumque corrumpimus, dum ex illis, ope spiritus vini, paramus tincturas & essentias. Præter cetera insignem laudem vtique meretur radix enulæ, vt & peucedani ac pimpinellæ albæ, quæ in puluere exhibitæ vergentiam suam ad superficiem satis probant, præsertim continuato vsu: quamuis inferiores sunt ante laudatis mineralibus eo, quod corrigendo & alterando minus valent. Veteres ex animali regno fidebant viperis, vel ipsis esui exhibitis, vel pullis viperarum carne pastis, cuiusmodi remediorum diuturno vsu quicquid impuri & corrupti humoribus inest, & per carniū substantiam dispersum latitat, ad superficiem eliminari crebra experientia edocti nouerant: quod
qui-

quidem in paucis, quorum facultates hoc patiuntur, experiri licebit in malo iam magis chronico. Vide de viperis auctores, qui ex instituto hanc curationem tradiderunt, quos ita indicat, vt simul summam doctrinæ eorum exhibeat., D. D. IO. HENR. SCHVLZE in Dissertatione Altorfii, habita, *de viperarum usu medico.*

§. X.

Atque hæc iam dicta ad omne genus cutanearum excretionum pertinent, non exclusis vlceribus diuturnis vt & fonticulis per complures annos gestatis. Sed in his fere præsentissimam opem tunc demum præstant laudata auxilia, si prius in loco vlceris male consolidati applicata fuerint rubefacientia aut vesicantia, vel fonticulus inconsulte clausus facta incisione referatus & apertus sit. Dicit enim non potest quam celeriter opem ferre id auxilium soleat, si tempestiue illuc confugiamus. Memini casus istiusmodi ex ore D. D. SCHVLZII in prælectionibus pathologico-practicis accepti, de studioso quodam medicinæ, cui in pueritia, ob oculos continua lippitudine laborantes, fonticulus in brachio excitatus cum optato fructu fuerat. Hunc academias ingressus coire passus fuerat; vnde aliquo die, cum vinum multum antea potasset, & lecto mane surgeret, videndi facultate se fere carere intelligebat. Ita enim obscure cernebat, tamquam per linteum oculis obductum obiecta consideraret, omninoque nullum poterat librum legere. Sed hic terrorem metumque haud modicum ipsi afferens affectus feliciter intra triduum abigebatur, cum sine mora fonticulum reparandum

dum

dum curasset, & aliquibus, quibus humores attenuari possunt, medicinis usus fuisset.

§. XI.

De variolis, morbillis, purpura & petechiis pauca attingemus, quippe qui acuti affectus rarius inconsulta arte repelluntur; quanquam satis sæpe ipsorum curandorum sinistro regimine retrocedunt, atque id semper cum præsentaneo vitæ periculo coniunctum esse solet. Quo autem pacto funestus euentus auertendus sit dextro bezoardicorum usu, & regimine magis emendato, id nunc liceat prætermittere, quippe magis de chronicis affectibus, quam acutis, agere instituimus. Transimus igitur, vt institutum teneamus, & de illis, quæ in sensus incurrunt, primo agamus, ad omnis generis euacuationes, quibus admodum sæpe accidit vt male consultorum hominum intempestiua arte supprimantur, medicoque opus sit vt omne studium ad reuocandas illas conferat. Sunt huius generis alui fluxus torminosi, gonorrhoea in utroque sexu, tam illa, quæ maligna audit, quam altera, quæ benignior censetur, sudor copiosus certorum membrorum, hæmorrhagiæque variæ, tam per nares, quam per vterum & anum, vt & alias quascunque partes, prodeunt; de quibus ordine, breuissime tamen, exponemus.

§. XII.

Alui quidem fluxus etiam benigni & sine dolore euenientes a transpiratione forte suppressa, neutiquam temere supprimendi sunt: sed longe maior magisque præsentanea est noxa, si pendent a miasmatis causticis acrioribus, ex ambiente aere, aut cum oleribus fructibus.

ctibus.

Etibusue horæis intra corpus delatis, & cum magno tormento per canalem intestinale ad exitum depulsis. Non raro enim obseruatum est, quam male mulctati fuerint, quotquot dysentericos istiusmodi alui fluxus solis & meris adstringentibus, largius & præmature sumtis, suppresserunt. Memini alicuius matronæ quæ cognatæ dysenteria correptæ sedulam operam dabat omni industria, per diem & noctem, ex medici præscripto rite tractandæ & obseruandæ. Hæc quum ipsamet in se sentiret morbi initia, putabat securam se fore, si crebro assumeret puluerem nucis moschatæ, adeoque intra decem forte dies consumebat duodecim huius generis nuces. Euentus hic erat, vt in febrem malignam continuam cum deliriis incideret, tandemque per totum corpus erumperent maculæ liuidæ & cæruleæ cum purpura alba coniunctæ, quæ, quum deiectiones torminosæ tandem superuenirent, intro recesserunt vitæque finem attulerunt.

§. XIII.

Atque is fere euentus est dysentericæ magis cohibitæ, quam suppressæ. Vbi vero illa iam præsens & pleno actu adest, *lupum stabulo includunt*, vt illustris BRVNNERI verbis utar, *qui adstringentibus hic certant*. Clarius loquitur de damno, quod inde emergit, LOMMIVS obseruat. pag. 142. *Fere ubi deiectiones alienis temporibus supprimuntur, abscessus iuxta costas, aut in visceribus, aut in articulis fiunt*. Exemplum hominis male mulctati ob præcipitem dysentericæ suppressionem, legitur in illustr. HOFFMANNI *medic. consult. tom. 1. decur. I. cas. IX.* Huic enim eueniebat magnus & grauissimis doloribus,

C

ribus,

ribus, nec exiguo vitæ periculo, iunctus abscessus per musculos abdominis & dorsi late patens, qui putrilaginem foedissime olentem, cum interfluentibus portionibus pinguedinis corruptæ, per aliquot dies emittebat. Non obscure cognoscebatur diffundi illum abscessum super os ischii ad lumborum internam regionem, veroque simillimum est mesenterium haud fuisse ab illa labe immune. Ante quam se abscessus proderet diro dolore ischiatico fuerat vexatus, quem ipsum prægressæ fuerant flatulentæ abdominis molestiæ. Quo vero pacto a dysenteria suppressa hæc omnia pullauerint, docet experientia eorum, qui hoc morbo defunctos secuerunt. Sic BARTHOLINVS, a BONENTO *anatom. practic. Tom. II. pag. 172.* adductus, docet in intestinis, colo præsertim & recto, apostemata hinc inde conspici; in mesenterio etiam glandulas quamplures tumidas maturo pomo similes deprehendi, quibus apertis tale pus foetidum effluat, quale e dysentericorum intestinis propelli solet.

§. XIV.

Nolumus plura exempla adferre, quibus comprobemus talia fieri, vbi hic fluxus immature supprimitur. Dispiciemus autem potius, quo facto opus sit, si obuেনiat ægrotus in periculum coniectus, dum voluit periculum effugere. Nihil huic magis conducet, quam si mature per rhabarbarum aluus aliquoties ei expurgetur, aut per pilulas leniores, quales sunt ex vetusto apparatus alephanginæ, aut recentiorum inuenta Beccherianæ, vel ad earum imitationem a perito viro compositæ. Si non arrideat hæc formula, aut non satis pro-

pro-

promoueat, fiat infusum ex speciebus aperitiuis cum rhabarbaro & tamarindis, cuius vsu continuato impe- trabitur vt sensim euacuetur inter tunicas intestinorum collecta acris materia, quæ, si maneat, erosiones fa- ctura est, & vel abscessum, vel chronicam & vix ex- pugnabilem molestiam ischiaticam, inductura: vel ho- minem in tabem & hecticam coniectura est.

§. XV.

Dici vix satis potest quam immania & fœda mala eueniant, vbi gonorrhœa intempestiuo studio suppri- mitur. Latus hic est campus, in quo variorum homi- num, quibus falcem in alienam messem immittere sæ- culi huius pravi mores suadent & permittunt, temeri- tas sese iactat, & innumeros male corrumpit. Sed præ- cipue hic grassantur temerarii chirurgi, qui fere ad se rapiunt curationem affectuum ex impura venere orto- rum, & plurimum ex his lucrum colligunt. Specimi- na præclararum scilicet curationum multi consigna- runt; quæ inter pauca adducam selecta. Sic illustr. HOFFMANNVS *medic. systemat. tom. IV. part. II. pag. 351.* refert de iuvene, qui ad gonorrhœam sistendam tin- cturam antiphthisicam Grammanni, & inter pulueres magisterium saturni copiose sumserat. Hinc atroces cruciatus in abdomine, quod durum, tensum & reni- tens erat, oborti, aluo penitus obstipata; aderat inap- petentia, inquietudo; tremore ac tractionibus artus, pedes ac femora torquebantur. Simile exemplum mi- hi inuotuit nobilissimi iuuenis, qui ex iisdem remediis dicam an venenis in passionem iliacam coniectus fuit: qua vix superata in febrem pertinacissimam incidit, quæ

vix impediri poterat, quin in hecticam plane abiret, quum tumores pedum œdematosi mox ab initio iam adessent, atque magnis auctibus quotidie progredirentur.

§. XVI.

Frequentissime accidere porro solet, vt suppressa feminis adhuc infecti & corrupti euacuatione glandularum tumores exsurgant, & impuritas omnibus humoribus longe lateque inniduletur. Sed vt hoc molestum est, multaque post se alia mala trahit: sic haud seio an molestius dari possit symptoma, quam tumor testiculi a tali causa subortus. Memini iuuenis cui vterque testiculus ad magnitudinem pugni intra paucos dies inflabatur, cum insigni duritie, & tanto dolore, vt corpus contorqueretur antierius, omninoque non posset erigi, totosque dies cum noctibus miserrimo eiulatu transigeret. Datur etiam aliqua gonorrhœa, vbi profluuium nullum est ex vrethra, sed satis tamen copiosum sub præputio & in corona glandis erumpit materia discolor & acris ac erodens. Quum eiusmodi effluxus, quem pseudo-gonorrhœam dicere liceat, in aliquo iuvene externis, ex saccharo saturni, cohibita fuisset, penis antierius intorquebatur instar semicirculi, vt locum suum emissurus seipsum conspurcasset, nisi membrum ad latus dirigeretur. In dorso penis duæ tresue glandulæ instar fabarum, mobiles sub cute, percipiebantur, sed insignem dolorem afferentes. Atque hæc ex multis sufficiant specimina noxarum, quæ gonorrhœæ intempestiuam suppressionem sequi solent.

§. XVII.

§. XVII. Si quis ad curationem tam misere mulcatorum vocatus accedit, ad colicam conuulsivam nihil efficacius afferet, quam ea sunt, quæ ill. HOFFMANNVS c. 4. commendat, clysteres nempe emollientes, & oleosos crebrius iniiciendos, mannam sero lactis solutam & salino stimulo armatam, iuscula pingua, blanda carminatiua, & balneum aquæ dulcis. Illi, qui iliacæ passionis iam satis manifesta indicia præferebat, præter clysteres nihil æque profuit, quam infusum foliorum fenæ, cui edulcorando manna pro saccharo adhibita erat, & emplastrum carminatiuum abdomini impositum. Is, qui testiculorum dolorifico tumore cruciabatur, post externa discutientia sine fructu vlllo adhibita, incredibili celeritate opem consequabatur a mercurio dulci exigua quantitate bis exhibito, qui tumorem mox dissipabat, & fluxum incaute suppressum feliciter reuocabat. Neque aliud remedium fuit, quo penis intorsio emendata fuit, etsi per aliquot dies continuandum fuit, quod & absque saluationis euentu profuit. Externe adhibebatur lac tepidum, quod dolores mire solabatur, quamdiu membrum eo fouebat.

§. XVIII.

Non caret etiam certo periculo fluor albus mulierum suppressus. Siue enim malignus ille fuerit; idem quod a virorum maligna gonorrhœa suppressa imminet periculum fœdam luem omnibus corporis partibus affricandi, vnde in hoc sexu fœda vlcera præcipue metuenda sunt: si vero benignus cohibeatur, metui debent dolorifici affectus spastici & rheumatici, hemicrania, arthri-

arthritidis, usque adeo ut quædam motum inferiorum partium amiserint omninoque contracturam passæ sint. In aliis ad vesicam & renes conuersum malum dysuriam & vlcera partium ad urinæ secretionem & excretionem pertinentium, ut & vteri induxit.

§. XIX.

Vt itaque auertantur tot tantaque mala, haud cunctanter opera nauanda est, ut relaxentur partes, quibus adstrictio per mala & incongrua medicamenta, interne vel externe adhibita, fuit inducta. Et siquidem venereum contagium fuit, illico exhibenda sunt anti-venerea, ut decocta illa non sudoribus extorquendis cum regimine destinata, sed diluentia & aperitiua. Subiungatur vsus mercurialium & antimoniatorum. In benigno sic dicto fluore præsidii optimi loco erunt balnea & infusus, quibus remolliantur partes nimium contractæ, repulsique humores rursus inuidentur ad pristinae excretionis locum, quem tanto citius & facilius repetent, si interius diluentia adhibeantur, ut serum lactis herbis aperitiuis & resoluentibus alteratum, ipsæque aquæ minerales. Neque parum in omni fluore albo suppresso inuant pilulæ blande euacuantes, quales sunt Beccherianæ correctæ, ut & extracta plantarum antiscorbuticarum liquore terræ foliatæ tartari imbuta & vino diluta, ut cochleatim exhiberi possint. Si exulceratio in vesica & ceteris urinariis viis facta fuerit, iuuabit decoctum ex plantis resoluentibus atque aliquibus vulnerariis, ut veronica, melissa, agrimonia, vrtica mortua, floribus hyperici: quale suadet ill. HOFFMANNVS *meaic. ration. system. tom. IV. part. IV. pag. 569, ibidem*

dem

dem quoque conuenit tinctura antimonii tartarifata cum bals. de copaiua permixta : etiam iniectiones ex aqua vulneraria, quam Gallico nomine l' eau d' Arquebusade dicimus, cum aqua calcis viuæ, plantaginis & liquamine spermatis ranarum, vel succo cancrorum fluuialium.

§. XX.

Venio ad alias excretiones, quæ, vbi recte succedunt, pleno iure non possunt morbis accenleri, neque etiam solent: verum aliquando, quia incommodæ videntur, aut quia nimix, feruntur dum ad moderationem reuocare eas cupimus, aut casu aliquo fortuito, supprimuntur. Dispicemus primo de sudore, quem medici aliquando oppugnant, quando in hectica febre detentis nimius & colliquatiuis fertur: aut quando certa membra nimium & quasi perpetuo irrigat, vt inde foetor molestus exspiret & illis, quibuscum talibus degendum est, incommoda pariat. Et in sudoribus quidem colliquatiuis, quum iam res ægrotantium ad incitas redactæ sint, cohibendis satis inconsulta opera collocatur adstringentibus, qualia sunt: celebre illud antihecticum Poterii & tinctura antiphthifica dicta: quum non tam effluxus, itamquam symptoma, curandus sit, quam causa eius, calor febrilis depascens & substantiam pinguedinis ac carniū colliquans, corrigenda & auferenda fuisset. Hinc anxietates & perturbationes maiores subsequuntur: vt optabile magis sit ægrotantibus, si possint reduci ad pristinum symptoma quo cum tolerabilius degebant. Sudorem particularem pedum conibere pediluuiū solent ex aqua a cotibus

bus

bus ferrariorum defluente, vna cum sedimento martiali eiusdem parato, aut tenerrimam limaturam martis vel cupri infricando, quæ a sudore, acidum & humidum secum ferente, in vitriolum adstringens resoluitur, sicque adstrictorium effectum satis potentem edit. Sic læsi in varia incommoda incidunt, vt vertiginem, aurium susurros, ventris tormina, cordis palpitationem, vagos artuum dolores & veram arthritidem. Iuuat itaque mature dare operam, vt istiusmodi suppressæ euacuationes reuocentur, pediluuiis ex aqua dulci, aut aliquanto cinerum addito stimulis, rubefacientibus atque frictionibus: quæ si non illico in parte, vbi adstrictio facta est, tamen in vicinis euacuationem facient, sensimque ipsam illam inconsulte suppressam recludent.

§. XXI.

Mensium & hæmorrhoidum excretiones quacunque ratione suppressas calamitatum magnam cateruam adducere notissimum est: vt verba perderemus, si enarrare hic vellemus, quæ tot auctores grauiter inculcant. Fit autem vel fortuito casu, vt terrore, lapsu in aquam cum magna perfrigeratione; vel medicamentorum inconsulto vsu. Vbi menstruatæ feminæ, vt & lochiis iam fluentibus, eiusmodi quid accidit, oportet ilico exhibere aliquid, quod inæquabilem sanguinis circulum, qui hinc confurgit, emendare & æquabilem reddere possit: cuiusmodi est mixtura simplex aquis diapnoicis diluta & syrupo fl. pap. rhoad. edulcorata; aut puluis epilepticus Marchionis cum antispasmodico quodam nitrato. Quibusdam satisfacit, si illico croci paucula grana ex obuio iusculo aut infuso
theæ

theæ assumant. Si hæc nondum sufficiant, detur dosis pilularum Beccherianarum, aut, si ad manus illæ non sint, pilularum pestilentialium scrupulus dimidius ad integrum. Hoc ubi mature factum fuit, fere solent restitui fluxus ex huiusmodi causa suppressi, præsertim si diæta commoda accedat, & clyisma emolliens carminatiuum iniiciatur, quod caueat ne spasmodica strictura interioribus partibus profundius infideat.

§. XXII.

Quod si vero vel hæmorrhoidibus vel mensibus nimium fluere visis medicinæ adhibitæ fuerunt constringentes, raro licet primo initio succurrere ad imminens periculum auertendum. Fere enim fit vt ægrotantes lætentur impetrato effectu, nec illico sentiant damnum, quum ob prægressas copiosas euacuationes eminentem plenitudinem in illis deprehendere non liceat. Hinc fit vt post aliquot demum dies vel menses damnum sentiatur. Suspectum autem medico & ægroto esse debet, si post usum talium medicinarum aluina excretio diu tardat, si facies solito coloratior fit, si aures susurrant, oculiue lacrymentur. Talia enim passus ante complures annos vir nobilis, qui tinctura quadam traumatica & opiata ab hæmorrhoidibus nimis curatus fuerat, incidit in apoplexiam fortem & funestam; in cuius corpore aperto intestinum rectum, cum vicini coli parte, tam arcte constrictum erat, vt vix digiti crassitiem æquaret, & clysteris ipsi ante obitum iniiciendi ne guttulam quidem admittere potuerit. Ceterum in curandis talibus omni ope enitendum est, vt stricturæ inductæ remolli-

D

enti;

entibus & relaxantibus expediantur, motus autem humorum æquabilis reddatur & conseruetur: tandem ubi tempus iustum euacuationum huiusmodi reuertitur, ut quouis modo adiuuetur per ea, quæ therapia rationalis ad talem casum commendat.

§. XXIII.

Inter affectus, qui ex leui causa retrocedunt, & tanto magis, ubi per topica incongrua tractati sunt, fontica damna inferunt, eminent arthritidis variæ species. Exstat de hoc argumento luculenta commentatio illustris HOFFMANNI *de podagra in corpus retrocedente*. Mihi meoque instituto sufficit pauca retulisse de variis noxis, quæ ab huiusmodi malo consequi annotatæ sunt. Nulla fere pars corporis interna est, quam non occupare parata sit materia arthritidis, suo loco prohibita. Visæ hinc sunt epilepsiæ pertinaces, quæ tamdiu infestarunt hominem, donec locum suum in pedibus iterum occupauit morbus: aliquibus apoplexia funesta superuenit: quosdam dyspnoea grauissima, alios asthma conuulsuum hinc corripuit. Miserime etiam degunt, quibus materia ad ventriculum & intestina decumbit. Facit enim hic insignes cardialgias, vomitus, singultus, cum syncopis grauissimis: febres etiam inflammatorias accendit, quæ sæpe homines iugulant, sedemque suam in ventriculo habuisse facta post mortem sectione ostendunt. Sed frequenter etiam ad renes & urinarias vias decumbit materia, ibique nephritica calculosa pathemata, cum di-

rissi-

rissimis cruciatibus, spasmō vesicæ & fere conspirante colica spasmodica producit & fouet.

§. XXIV.

Plurimis quidem funesta hæc talis podagricæ materiæ metastasis, motuumque peruersio, fuisse cognoscitur: qui inde vltius œdematosi, tympanitici, asciticique facti sunt: quotquot autem fuerunt, quibus lethalem euentum effugere licuit, non alia conditione in gratiam cum valetudine redierunt, quam vt certis temporibus podagræ dolores perferrent, hisque, tamquam minori malo medico, libenter reliquæ incolumitatis dulcedinem redimerent. Est igitur operæ pretium considerare & quo sit pacto cauendum ne retro pellatur, & si retrocedere aut non iusto tempore emicare videatur, quid agendum sit, ne quidquam omisisse videamur, quod ad salutem pertineat. Cauendum autem illo maxime tempore videtur, ne frigore ad partem podagræ obnoxiam liberius admissio aduentum eius impediamus: quum multis id fraudi fuisse ex historiis medicis discere liceat. Studeatur igitur illo potissimum tempore, vt corpus æquabili liberæque transpirationi idoneum aptumque seruemus, pedes autem, aut aliam quamcunque partem, in qua arthritidis sedem semel cepit, omnium maxime sollicito studio subtrahamus frigoris accessui: de reliquo omnia in vitæ genere ita accurate obseruemus, ne quis grauior accidat error, qui negotium hoc turbet. Valent huc emetica & purgantia fortia versus

D 2

paro-

paroxyfmi tempus affumta : quæ spasmos facile ad interiora figunt, eoque materiam detrudunt.

§. XXV.

Quod si iam incoato paroxyfmo aliquid acciderit, a quo retropulsionem fieri intelligimus, prima cura fit omnes commotiones sedare, quantum quidem fieri potest, & transpirationem conseruare atque intendere per idonea diapnoica & motum humorum æquabilem reddentia. Pars affecta blando calore foueatur, & frictione moderata tractetur. Si omnino dolor recessit, iamque alibi sese exferit, imponantur rubefacientia & attrahentia, interne vero exhibeantur, quæ antispasmodica virtute pollent & ad exteriora blande mouent: nam calida positue diaphoretica sæpius nocuisse compertum est. Superato periculo, quando appropinquat tempus, quo solebat podagra accedere, creber vsus esto pediluuiorum & frictionum: adhibeantur etiam loco olim affecto epispastica, vt omni modo materiæ decubitus ad illam partem inuitetur.

§. XXVI.

Neque reticendæ sunt febres iutermittentes, quæ sæpissime solent potius supprimi, quam plene riteque percurari, vt sua sponte & cum salute & euphoria cessent. Vix autem datur aliqua methodus febres has tractandi, quæ non aliquando claudicet, in hoc vel illo indiuiduo adhibita: ita vt eadem ratione, qua decem pluresue feliciter liberati fuerunt, vnus vel alter non
recu-

recuperet sanitatem, sed cum suo morbo diutius conflictari cogatur: quia aliquæ in corpore eius latentes causæ adiunt, quas celeriter emendare non licet. Sic visi fuerunt adolescentes cum tertiana aut quartana conflictantes, quibus nulla medicina profuit, quia illo tempore corpus in longum extendebatur & auagescebat: indeque proueniens perpetua partium solidarum tensio spasmodicam illam, quæ febres intermittentes fouet, causam cessare numquam patiebatur. Si quis eiusmodi ægrotis moræ impatientibus, aut conuiciis eorum, qui eos celeriter curatos optant, obsequitur, rumoresque ante salutem ponit, expedita autem curatione plures ad se ægrotos sperat venturos: facile inducitur ad tentamina quæ raro feliciter cedere solent. Executiuntur omnes libri, confugiturque ab aliis ad hoc adstringens, ab alio ad aliud, fereque in scyllam incidunt, qui charybdin uoluerunt euitare. Sunt aliqui prorsus qui ad infamata remedia prouolant, aut ad talia, quæ securis certe numquam possunt annumerari. Sicque non tam curatur morbus quam suppressitur; qui, si redierit, noua arte est suppressendus, donec in aliud schema migret.

§. XXVII.

Consultissimum videtur, vbi talis ægrotus oblatu est, operam dare vt febrem male suppressam reuocare studeamus; quod fiet blandorum laxantium & aperitiuorum circumspecto usu. Vbi autem re-

D 3

versa

versa est admonere aegrotum, quod minori utique valetudinis periculo intermittentem febrem aliquanto tempore laturus sit, quam conatus vehementiores, quibus non plene liberatur, & in chronicam labem, forte non emendabilem & immatura morte luendam, coniici possit. Certe consultum nunquam est in talibus renouare tentamina cum nouis adstringentibus: methodus autem quæ patienter insistit aperitiuis, verisque antispasmodicis & fibras tensas relaxantibus, rigiditatemque earum emendantibus, vt tationi omni- que veræ theoriæ congruit, ita experientiæ suffragio sæpius exornatur & comprobatur. Innuo autem illa, quibus omnis retro vetustas plurimum tribuit, externa, vt spinæ inunctionem ante paroxysmum, balnea tepida aquæ dulcis tempore perfectæ *ἀπυρεξίας*, quibus siquis interne tuta & efficacia antispasmodica ac sedatiua iunget, calidorum autem alexipharmacorum vsu prorsus supersedebit, etiam pertinacissimas secure tandem, adiuuante DEO, profligaturus est.

F I N I S.

NOBIS.

NOBILISSIMO ET PRÆCLARE
DOCTO

DOM. CANDIDATO

S. P. D.

IO. HENRICVS SCHVLZE.

QUum apud nos integros tres annos, artis
salutaris studio totus addictus, consumse-
ris, mibique, varias medicinae partes, tam
theoreticas quam practicas, explicanti as-
siduus fueris auditor: valde me incensum amore isti-
us diligentiae fuisse dissimulare non potui. Magis au-
tem TE amare coepi, quum frequentius priuatos te-
cum sermones instituendi occasiones præberes, deque
rebus, quas proposueram, nonnulla sciscitareris, qua
ad clariorem earum intelligentiam perducerent. Co-
gnoui TE non solum audire & legere, verum etiam
meditatione assidua apud animum probe ea, qua lege-
ras & audiueras, digerere, & ad fructum solidioris
doctrinae adspirare. Ita apud TE fidelis institutio &
meditatio numquam defatigabilis effecerunt, ut qua-
cunque vel in alma Duisburgensi academia ab Ex-
cell. TUMMERMANNO, vel in nostra ab illu-
stri HOFFMANNO, aliisque, accepisti, apud
animum tuum fideliter reposueris iudicioque recto, quo
polles, in lucem conspectumque proferre valeas: ut o-
mnino

minimo patria tua de praeclara doctrina & peritia tua
optima quaeque exspectare possit. Ita augurandi, aut
potius confidendi de TE causam praebuit non solum illa
exploratio, quam in consensu ordinis medici cum laude
sustinuisti, verum etiam specimen istud tuum inaugura-
le, quod nunc in publicam lucem emittis, de morborum
inconsulta ratione suppressorum reuocatione: quod non
sine delectatione perlegi, quum mihi illud ab illustri &
venerando sene Dom. FRIDERICO HOFFMANNO
censendum demandaretur. Super est ut TE prosequar,
ab nobis nunc discessurum, faustis appreciationibus &
votis, TIBIque, quicquid a me proficisci humanitatis
& officiorum umquam poterit, numquam defuturum
spondeam atque pollicear. Vale & rem feliciter age
Scripsi a. d. IV. Octobris MDCCXXXVII.

DEin aufgeweckter Geist im Klugen meditiren,
Und unermüdeter Fleiß im gründlichen Studiren,
Hoch Edler, macht daß Du in der Gelehrten Orden
Ein Stern, ein heller Stern, der ersten Größe worden,
Der immer heller wird in neuer Ehren-Schein.
So einen grossen Lohn giebt Weißheit ihren Söhnen.
Genung. Vom Himmel muß die Lust die ungemeyn
Dich und die Deinigen in Lauter Segen kröhnen!

Dieses sezer seinem Hochgeehrtesten Freunde Glück
wünschend hinzu.

ANTON WILHELM AMO

Von Guinea in Africa, der Philosophie und Frey-
en Künste Magister legens,